

leret : Dæmonium habet ; et quod in Beelzebub eiecit dæmonia. Unde ut ipse consolaretur ægros ait : Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. Si dolores amari sunt, ligatus, flagellatus, crucifixus est : si mors amara est, etiam mortuus est : si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. » Hæc August.

Superavit hæc Christi patientia patientiam Job multis modis ; nam imprimis Job non fuit appetitus probris et contumeliis, quod genus affligendi acerbissimum est. Deinde dæmon non accepit potestatem in animam seu vitam Job : at in animam Christi habuit exercuit, vitam ei extorquendo. Ad hæc Job non habuit vires ad se vindicandum, habuit vero Christus. Quam autem difficile sit non ulcisci graves injurias cum possis, vel ex eo patet, quod Samson cum acerbè illuderetur a Philisthæis convivantibus, impatiens ejus confusionis, precatus est Deum pro viribus suis pristinis, ut vindicare se de hostibus posset, quod et obtinuit a Deo ; concutiens enim duas columnas, quibus domus tota innitebatur, obtrivit ruina domus hostes suos. Non ita sensit Samson, cum ei oculi eruerentur, cum molere cogere, uti cum illuderetur. Potuisset etiam Christus concutere columnas orbis et mille modis perdere hostes suos, nihil tamen horum fecit.

IV. Mansuetudinem, cum enim durante passione necessario arguendi et monendi essent aliqui, vide quam mansuete, quam pacate id Christus fecerit. Arguendi erant discipuli somno dediti tempore maxime importuno, (quia tunc magna instabat tentatio, ideoque vigilandum erat.) Et quid Dominus? *Simon, dormis? Et : Sic non potuistis una hora vigilare mecum? vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Quid suavius, quid pacatius dicere poterat? Arguendus erat proditor Magistrum osculo tradens, et ingratitude ac gravissimi sceleris monendus, ut agnoscere posset scelus suum et respiscere. Sed quomodo id præstitit Christus? Pacatissime : *Amice, ad quid venisti?* Matthæi XXIV. Et rursum : *Juda, osculo Filium hominis tradis?* Luc. XXII. O agnum mansuetissimum, qui lupum atrocissimum non fugit, non repellit ab osculo, sed amicum appellat et veteris amicitie tam dulciter commonefacit! Arguendi erant milites Christum comprehendentes, quod uno Christi verbo prostrati, nihil tamen inde emendati, manus ei injicerent, eumque comprehendere ac ligare auderent, cujus potentiam insuperabilem immediate antea experti fuerant. Sed quomodo redarguit eos? *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me, etc.* q. d. mirum est, quod au-

deatis mihi vim afferre, cujus vim vestra multo majorem primum experti estis : mirum etiam est, quod gladiis et fustibus me quaeratis, quem inermem quotidie inter vos commorantem habuistis et vidistis : mirum deinde quod, velut latronem comprehendere et ligare me velitis, cujus olim doctrinam salutarem sæpe audistis et mirati estis, cujus etiam miracula et actiones nemini noxias, sed salutare oculis vestris spectastis. O mitissime Domine, tonare debebas, et loqui ut *parturiens*, imo fulmina jaculari in tam improbam cohortem : et quasi nihil horum posses, ita cum illis agis? Arguendus erat improbus ille servus pontificis, qui Christum irreverentiæ arguens privata et propria auctoritate, coram judice alapam ei dedit : arguendus, inquam, ne Christus perperam objectum crimen fateri videretur, quia etiam improbis pontificibus honorem semper exhiberi præcipiebat. Sed quomodo eum arguit? Sanctus Chrysostomus ait, quod terra debuisset dehiscere et contremiscere et cælum exhorrire ob percussionem illam. Sed nihil horum fieri voluit Dominus : solum id respondit : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si bene, cur me cædis?* In quem locum S. Ambrosius, in Psalm. XXXVII. ait : *Vide quemadmodum quasi vir infirmus et quasi is, qui se vindicare non posset, puerili quodam loquebatur affectu?* Respondit enim perinde ac si puer esset imbecillis, qui se vindicare non valeret, cum tamen in puncto temporis percussorem in tartarum posset dejicere. Monendus etiam erat Pilatus, cum graviter erraret dicens : *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te? etc.* ut ab hoc errore liberaretur. Sed quam mansuete admonuit! *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Et quis est ille, qui dedit ei potestatem desuper, nisi hic ipse, quem Pilatus judicat? Confundere potuisset merito hominem superciliosum et tam graviter errantem : sed absque confusione ulla instruendo tantum admonuit. Tamquam agnus enim mansuetissimus inter plurimos circum se undique strepentes lupos, ad sui defensionem nihil loquebatur : solum ad salutem hostium suorum attendebat et salutaribus eos doctrinis commonefaciebat. Quid ad hæc superbia nostra? Si ejusmodi injuriæ nobis irrogarentur, fulmina ejacularemur et ignes, deos deas que omnes contestaremur, etc.

V. Charitatem erga proximum, tam inimicos quam amicos. Ipse enim pro salute humani generis maxima charitate passus est, ideo hymno dicto in montem Oliveti, adeoque cantans instar cygni ad mortem et passionem suam ivit. Discipulis in Oliveto dormientibus ipse velut pastor

vigilans pro ovibus excubias egit, et sæpe eos revisit ; Malchum ex comprehensoribus suis unum, aure truncatum, statim sanavit ; Petrum negantem oculo misericordiæ respexit. Dum in cruce milites ei illudunt et pro vestibus ejus, ipso inspectante, ludunt, ipse interim pro eis orat et apud Patrem eos excusat. Unde S. Ber. serm. de pass. Domini, serm. XIV. hebdom. pæn. ait : « Vide nunc opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus ; omnium tamen dolorum immemor : Ignosce, ait, illis. » Denique suorum oblitus dolorum saluti latronis invigilat nostræque salutis sitim sentit et protestatur.

VI. Mundi contemptum, divitiarum, gloriæ, voluptatum ; et ita enecavit tres illas concupiscentias, quæ in mundo sunt ; carnis, oculorum, honorum, quæ est *superbia vitæ*, I. Joan. II. Voluptatum quidem, cum non alium lectum quam lignum crucis ; non aliud pulvinar, quam spineam coronam ; non alias epulas, quam fel et acetum ; non aliam musicam quam convicia, irrisiones et opprobria in cruce pendens habuit.

Gloriæ, cum non alium thronum quam patibulum, non aliam coronam quam spineam, non aliud sceptrum quam arundinem, non alios annulos quam clavos sanguine aspersos, non aliam purpuram quam proprium sanguinem totum corpus operientem, non alium comitatum quam pendulos duos latrones et nebulones habuit.

Divitiarum, cum non aliam vestem quam nuditatem, non aliam domum quam communem aerem, non aliud sepulcrum quam alienum, quod Josephus illi concessit, nec aliam sindonem corpori involvendo, quam quæ a piis hominibus ei coempta et donata erat eleemosynæ loco. Moriens etiam poculum aquæ, quam petebat, non potuit obtinere.

O qualem hic consolationem inveniunt pauperes et qui in contemptu ac vitæ asperitate degunt ! Quam confunditur hic mundus delicatulus, superbus, avarus, qui hæc omnia fugit et aspernatur, quæ Dei Filius amplexus est et coluit usque ad mortem !

Quod si igitur vestrum aliqui morbis angustiantur, dum lecto affiguntur, aut aliis modis torquentur : consolamini, consolamini ; Christum enim Deum vestrum socium habetis in eadem miseria. Quod si injuste opprimini, negligimini, contemnimini, et famæ detrimentum immeriti patimini ; consolamini, consolamini ; quia idem Christo accidit. Quod si pauperes in vos sævit, nec habetis quod induatis, ubi caput re-

ponatis, ubi divertatis, si liberis onusti, non habetis quod manducetis, si divites nihil tribuunt : consolamini, consolamini, quia vobiscum eget Christus.

Tibi denique, Christe, luci et duci animarum nostrarum gratias habemus maximas, quod hodierno præsertim die cæcitatem nostram illuminaris, claudicantem nostram voluntatem sanaris et frigescentem accendis. Spondemus tibi vicissim, nos qui a te lumen et gressum habemus, perpetuo tibi servituros.

CONCIO VII.

SEPTEM CHRISTI VERBA TOTIDEM ANTIDOTA CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

I. Contra iracundiam. — II. Contra invidiam. — III. Contra luxuriam. — IV. Contra superbiam. — V. Contra gulam. — VI. Contra avaritiam. — VII. Contra acediam.

THEMA.

Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Joan. XII.

Libro I. Reg. c. XVI. legimus regem Saul, quia prævaricatus erat Dei mandatum, a Deo reprobatus et inde a spiritu malo exagitatum fuisse. Quæsitus igitur est regius Psaltes isque erat David, qui quotiescumque cithara canebat coram Saule, *refocillabatur rex et levius habebat ; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Glossa ordinaria et Isidor. apud Hug. card. eo loco dicunt, sonum illum citharæ nequaquam habuisse vim pellendi dæmonem, nisi quatenus erat figura crucis : lignum enim citharæ, crucem representare, chordas vero, carnem Christi in cruce extensam. Christus igitur tanquam verus David citharam pulsavit coram primo Judæorum rege Saule, quando expansus in cruce coram primo homine Adamo (qui juxta plurimorum patrum sententiam in Calvarie monte sepultus erat) suavissimo sono deprompsit septem illa verba, quibus ab Adamo, id est, humano genere ita expulsi dæmonem, (qui homines peccatis capitalibus mire exagibat,) ut si cantus ille recte percipiatur, cedere debeat dæmon cum suis tentationibus et qui tentantur melius habere incipiant. Itaque audiamus citharæ nostrum, et si quis malo aliquo peccati exagitur spiritu, sedulo attendat.

I. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Adesto hic iracunde et audi sonum citharæ. Primo enim, quis es tu respectu Dei ; quo ignoscente non ignoscis ? Numquid tu major es

Deo? Aut honorem tuum pluris aestimas, quam sit honor Dei? Cœli et terræ Dominus est, qui hæc dicit in cruce pendens, omnes suos hostes perdere in gehennam poterat, injuriam tamen dissimulat, imo ignoscit et ignosci orat. Videbantur elementa tunc omnia conjurasse ad vindicandum creatorem suum: ea tamen ille coercuit et rogavit ea, quæ pacis sunt. Vide hic verum Davidem prohibentem filios Sarviæ, ne occiderent obtrectatorem illum Semei maledicentem regi et domino eorum, II. Reg. XVI. Dicere videbantur cœlum et terra cum Abisai: *Quare maledicunt canes isti Domino nostro regi?* Eamus et disperdamus illos. Sed Christus id impedivit, et pro illis oravit.

Secundo, quid est injuria tua respectu injuriarum quas pertulit in cruce Christus? Ibi supplicium acerbissimum et contumeliosissimum: ibi omnis generis opprobria, irrisiones et scommata tulit: « Flagellis cæsus est (inquit Bern. serm. de pass. se. IV. hebdom. pœnosæ) spinis coronatus, clavibus confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus; omnium dolorum tamen immemor: Ignosce, ait illis. » Et paulo infra: « Mira res, inquit, clamat: Ignosce; Judæi vero clamant: Crucifige. » Quam vere hic docuit Christus, quod postea tradidit Paulus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malo*, id est, vince malefacta benefactis, malitiam bonitate, ad Rom. XII.

Tertio, quid tua indulgentia respectu illius divinæ? Numquid inimicum tuum mittere in gehennam potes? At hoc Christus poterat. Tu si ignoscere nolis, non ideo nocebis inimico: ignoscet illi Deus. At nisi Christus ignovisset, Pater non ignovisset. Tu forte injuriam dimittis: sed Christus etiam excusat et insuper pro inimicis orat. Christus remittit decem millia talenta: tu non remittes centum denarios? Prout habetur in parabola illa, Matth. XVIII.

II. *Amen dico tibi: Hodie tecum eris in paradiso.* Disce hic qui invides, quam præclara res sit alteri sua communicare. Quid enim præclarior, quid laude dignius poterat Dominus loqui latroni quam hæc verba? Et vide primo quam ingens bonum communicat Christus latroni? Regnum videlicet suum. Quid sunt terrena omnia ut ea alteri invidere debeamus? Quid aliud agit invidus, quam quod canis instar, os rodenti invidet? Cœlorum vero regnum tale est ut communicatione jucundius fiat. Unde S. Greg. I. V. moral. c. XXXI. « Quid cupit invidia carere, inquit, illam amet hæreditatem, quæ non minuitur multitudine hæredum, quia in omnibus est eadem, et in singulis tota: et eo magis magnitudo apparet, quo recipientium multitudo magis

Secundo, vide cui hoc regnum. *æ... homini* quoad conversationem sibi ignoto, pauperulo; imo tali, qui paulo ante latro et hostis erat, nunc vero primum se insinuavit in Christi amicitiam. Disce ergo omnibus bene velle, etiam ignotis, etiam pauperibus, etiam inimicis. Plurimi bona sua disperunt et legant solis amicis, consanguineis et divitibus: ægre etiam ferrent si viderent ea in manus alienorum devenire. Imo quando exterus vel pauperulus fortunæ aliquid sortitur, tota civitas obmurmurat, et prædam illi invidet atque etiam eripere conatur: suis amicis et consanguineis datam vellet. Sed quam hoc diversum est a verbo Christi ad latronem?

Tertio, cur det. Inter alias causas tantæ liberalitatis, puto unam fuisse si non causam, saltem occasionem, consortium crucis. Solent enim qui in magna tribulatione simul fuere aut sunt (veluti in eodem naufragio, in eadem captivitate, Turcica, etc.) sibi mutuo peculiariter bene velle, mutuo misereri et beneficia impendere; quia etiam sibi quisque id fieri optat. Unde bonus latro reprobum increpavit, quod in eadem damnatione cum Christo existens, ei insultaret et non potius commiseretur. O infelix latro, quam facile tibi fuit consortium paradisi obtinere a consorte crucis tuæ! Atqui nos Christiani nonne par conditionis sumus? Nonne eodem baptismo tincti? Nonne sub eodem crucis vexillo militamus? Nonne in eodem mari periclitamur? Nonne eandem spiritualem escam sumimus? Nonne eandem cœli hæreditatem expectamus?

III. *Fili, ecce mater tua.* Adesto, luxuriose, et vide cui matrem suam Virginem commendat Christus. Virgini nimirum, ut intelligas quam grata ei sit castitas, quam sordeat impuritas: castitati etiam studere debere eum, qui Deiparæ patrocínio vult gaudere. Itaque primo disce ad vitandam impuritatem, castis te adjungere, et imprimis alicujus castitatis magistri vel confessorii directioni te subicere, cui pericula et tentationes tuas fideliter aperias: sit is tibi Joannes.

Secundo, in auxilium voca Deiparam, matrem et ducem castitatis, hostem vero omnis immunditiæ. Sensit ejus præsidium B. Justina virgo Antiochena, quæ magicis artibus tentata, ut juvenem quemdam amaret, confugit ad Dei et S. Matris auxilium, tantumque valuit imploratio B. Virginis, ut Justina a sensu tentationis liberata dæmonis artes irritas redderet, Nazianz. orat. in Cypr. lib. c. XXVII. Sanctus item Thomas Aquinas ab impudente femina tentatus, opem Dei et Mariæ imploravit; indeque victor evadens feminam fictione fugavit: eoque tempore lumbos sibi constringi sensit, ut deinceps omni libidinis sensu careret, Surius in vita. Sane doctor Joan-

nes Avila nostri ævi in Hispania prædicator apostolicus ex crebra certa que experientia tradit, singulare et efficax remedium contra tentationes carnis ad conservandam castitatem esse, ut tentatus B. Virginem invocet, opemque ab ea poscat per immaculatam ejus conceptionem et angelicam puritatem, qua concepta est, et qua pariter ut virgo concepit Dei Filium, atque in honorem utriusque conceptionis hymnos vel preces aliquas recitet.

Tertio, dolore aliquo corpus affice: sicuti hoc in verbo doloris gladius pertransivit animam Virginis. Sic ille juvenis apud S. Hieronymum in vita Pauli erem. in lectum reclinat et ligatus, cum ab impudica femina provocaretur ad libidinem, cum aliud, quo se tueretur, non haberet, linguam morsi sibi resecurit et in faciem meretricis expuit cruentam. Sic Benedictus æstum libidinis sentiens, in spinis nudum se volutavit, ut doloris sensus voluptatem arceret et extingueret.

IV. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Disce hic superbe, in quem locum se demiserit majestas illa divina, quæ olim docuit et suavit novissimum in mensa quærere. Nemo unquam sapientum docuit hanc virtutem, Christus primus ejus professor fuit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde*, Matth. XI. Ac licet eam docuerit toto vitæ suæ decursu, nullibi tamen clarius eam nobis commendavit, quam hoc verbo, quo ostendit omnem suam gloriam in conspectu hominum obscuratum, Deo sic volente; id quod demonstrabant densæ illæ tenebræ, quibus lumen solis penitus obscuratum fuit, quemadmodum et gloria Christi, qui est sol justitiæ. Sed placet hoc audire verbis card. Bellarmini, de septem verbis, lib. II. « Gloria Christi, inquit, de qua loquitur S. Joannes in principio evangelii cum ait: Vidimus gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis, posita erat in potentia, sapientia, probitate, majestate regia, beatitudine animæ et dignitate divina, quam habuit ut verus et naturalis Dei Filius. Hæc omnia passio obscuravit: et hanc obscuratorem verba illa significant: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Potentiam passio obscuravit, quia cruci affixus nihil omnino posse videbatur et ideo principes sacerdotum et militum et ipse etiam latro, exprobrabant illi impotentiam dicentes: Si tu es Christus, descende de cruce; et: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Quanta patientia, quanta humilitas necessaria fuit, ut nihil ad ista responderet is, qui vere erat omnipotens? Sapientiam passio obscuravit, quando coram principibus sacerdo-

tum, coram Herode, coram Pilato ad multas in interrogationes, quasi consilii omnis expertus nihil respondebat, ex quo factum est ut eum Herodes indutum veste alba spreverit et exercitus ejus. Quanta humilitas, quanta patientia necessaria erat ad ista toleranda ei, qui non solum Salomone sapientior, sed ipsa Dei sapientia fuit? Probitatem vitæ passio obscuravit, cum in medio latronum cruci affixus penderet, quasi seductor populorum et regni alieni usurpator esset. Atque hanc innocentiae gloriam magis adhuc obscurare videbatur illa derelictio Dei, quam ipse fatebatur dicens: *Cur me dereliquisti?* Deus enim non probos viros, sed improbos derelinquere solet. Certe superbi omnes valde cavent, ne aliud dicant, unde possint, qui audiunt, suspicari indignitatem aliquam suam eos ipsos confiteri. Sed humiles et patientes, quorum rex Christus fuit, libenter occasionem omnem arripiunt humilitatis et patientiæ, modo nihil falsi dicant. Quanta igitur humilitas, quanta patientia necessaria fuit ad ista toleranda illi, de quo apostolus dicit: (Hebr. VII.) Talis debebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus? Porro regiam majestatem passio sic obscuravit, ut pro diademate aureo, spineam coronam, pro sceptro arundinem, pro tribunali patibulum, pro regio comitatu duos illi latrones adjunxerit. Quanta igitur humilitas, quanta patientia necessaria fuit illi, qui vere erat Rex regum et Dominus dominantium et Princeps regum terræ? Quid jam de beatitudine animæ, quam vere Christus habuit ab ipsa sua conceptione? Et quam potuisset, si voluisset, in corpus etiam transfundere? Quam vehementer gloriam istam passio obscuravit, cum eum fecerit virum dolorum et scientem infirmitatem et despectum et novissimum virorum (juxta Isaiam LIII.) et cum ipse clamat præ magnitudine passionis: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Denique celsissimam personæ dignitatem passio sic obscuravit, ut qui supra omnes non homines tantum, sed etiam angelos, sed et propter passionem dicat: Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Ad hunc igitur locum novissimum Christus in passione descendit. » Hæc Bellarminus. Vides igitur in hoc verbo, non solum quomodo se humiliaverit Christus usque ad mortem crucis, sed etiam quomodo suam depressionem voce magna profiteri non erubuerit. *Quid ergo tu superbis terra et cinis*, qui nec minimam ferre contumeliam aut injuriam potes? Qui gloriaris de alieno? Qui defectus tuos occultas, bona vertiactas?

V. *Sitio*. Ades, hic gulose, et primo, expende sitim Christi; cujus vehementiam colligere possumus primo ex Christi contestatione. Nisi enim ingens ea fuisset, mentionem de ea non fecisset, qui de cæteris tormentis nihil conquestus est. Secundo, ex eo, quod acetum, potum utique ingratum, sibi oblatum accepit. Tertio, ex effusione totius sanguinis, unde maxima sitis gignitur. Cujus exemplum esse potest Andronicus imperientis, qui ab Isaacio Angelo victus, et post mille injurias dextera truncatus atque inter duas columnas pedibus suspensus, gladiis perfossus jam pene exsanguis, adeoque sitibundus mutilam dextram ægre admovit ori, calidum ex ea sanguinem, ut putabatur adhuc stillantem, exsucturus, Nicetas ad annum 1185. Quanta ergo Christi sitis esse debuit, qui tot sanguinis effusionibus penitus exhaustus erat? Quando igitur videmus sitientem in cruce Christum, qua fronte inebriari et helluari possumus? Legimus Rudolphum imp. aquæ penuria cum exercitu laborantem, cum esset allata ei hydria sicera plena, noluisse bibere: *Ego enim*, dicebat, *exercitui, non mihi sitiebam*, *En. Sylv. l. III. comment. in res gest. Alph.* Similiter Alphonsus regem, cum ei magna militum fame panis unus cum raphano missus esset, recusavit dicens, non decere imperatorem jejuno exercitu manducare, *Panorm. l. III. de reb. gest. Alph.* Itaque si non decet imperatorem, sitientibus vel esurientibus militibus, bibere vel edere: qua ratione decet nos inebriari, et videre Dominum nostrum siti laborantem?

Secundo, expende sitim pauperum, in quibus tamquam in membris suis sitit Christus, et quidem da tantum, quæ tu prodigas et perdis. Vide num æquum sit, ut alius quidem esuriat, alius autem ebrius sit? Ut quis epuletur quotidie splendide, Lazaro autem præ foribus jacenti micæ mensæ neget? Cogita ergo clamare Christum in membris suis: *Sitio*, cum pauperes intueris; his enim potius quam sibi silivisse eum credo, quemadmodum supra de Rudolpho diximus. Alioquin non dixisset: *Sitivi et non dedistis mihi bibere, etc. quia quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Cum S. Ignatius societatis Jesu fundator Venetiis in foro S. Marci pernoctaret, Marcus Antonius Trivisanus senator nobilis vocem audit increpantem: *Ergone tu in lecto molli quiescas, et famulus meus noctem sub dio traducat?* Ad quam vocem illico surgens invenit, eo, qui vocaverat, dirigente, Ignatium, et hunc interpretans esse, quem vox commendarat, domum deductum hospitaliter habuit, *Nicol. Orlandin. p. I. hist. s. J. lib. I.* Ita et te alloquitur Christus, si tu bene ha-

beas, pauperes vero negligas: *Ergone tu cutem cures, et servi mei esuriant? Tu inebrieris et illi siti pereant?*

Tertio, cogita sitim damnatorum. Si enim Christus innocens tanta siti pressus, et insuper felle et aceto potatus est: qualis illa sitis et potus erit, qui ebriosis paratus est condemnatis ad infernum? Non tacuit eum Moyses, cum Deut. XXXII. dixit: *Uva eorum, uva fellis et botri amarissimi, fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile*. Quod si ibi nulla potius amaritudo, sed sola sitis æterna foret, qualem epulo ille sensit; annon id horrendum foret? Et si ea sitis tantum, quam Christus in cruce per tres horas pertulit, perpetua ibi foret, nonne id satis foret? Sed ne dubita, si lignum hoc virens et Deo conjunctissimum ita arsit siti, quomodo ardebit aridum et a Deo abjectum?

VI. *Consummatum est*. Audi tu avaræ. Quid sibi vult hoc verbum? Primo, consummatum est iter laboriosum peregrinationis Christi quæ quidem aspera fuit, sed brevi tamen finita et ingenti fructu compensata. Secundo, consummatum est pretium redemptionis, quod tamquam fidejussor pro hominibus Deo exsolvit. Tertio, consummatum est tempus tenebrarum, quod concessum erat Judæis ad vexandum Christum, ita vicissim, o avaræ, licet ingentem auri summam tibi comparaveris, brevi tamen dices: *Consummatum est iter meum, quo sub sole studiosissime et heu frustra laboravi! Consummatum est illud pretium, quo plurimas possessiones et omnis generis delicias mihi comparavi; consummatum est illud tempus, quo oppressi pauperes usuris et exactionibus. Et quale iter nunc ingrediar? Iter infelix et omni calamitate plenum. Et quale pretium ibi pendam? Animam propriam dæmonibus. Et quod tempus me expectat? Nunquam consummandum. Exultavit ad horam dives ille qui dicebat: *Anima, habes multa bona, etc.* sed cito audivit: *Stulte hac nocte, etc.* Luc. XII. Exultavit ad horam Judas avaritiæ mancipium in luero paucorum nummorum, sed cito crepuit medius et jam 1700. annis cruciatur in gehenna. Audi Baruch. cap. III. *Ubi sunt qui argentum thesaurizant et aurum? In quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum, etc. Exterminati sunt et ad inferos descenderunt.**

Charinus avarus quidam diaconus erat, qui cum mensam B. Epiphanius episcopi Constantiæ in Cypro, cum aliis clericis assideret, contigit ut corvus ter quaterve crocitaret. Rogat ergo Charinus, quid hæc corvi vox portendat? Respondit S. Epiphanius: *Charinum diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. Nec fefellit*

conjectura. Mox enim lecta gratiarum actione, apoplexia tactus Charinus domum a famulis est delatus, maneque mortuus. Refert discipulus S. Epiphanius Joannes in ejus vita apud Sur. 12. maii. Itaque corvus ille occinuit Charino flebile: *Consummatum est.*

VII. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Disce serve piger. Primo, quodcumque potest manus tua instanter operari usque ad ultimum spiritum, quia nec ratio, nec scientia, nec opus est apud inferos, quo tu properas. Aspice Christum quomodo in extremis positus magna voce clamet et animam suam Patri commendet. Idem iisdem verbis fecit S. Basilius morti jam vicinus, ubi etiam non cessavit docere circumstantes, Nazianz. orat. XX. Refert Moschus in prato spiritali, c. V. religiosum quemdam negligentem, tandem magnum assumpsisse fervorem; qui rogatus causam dixit: *Modo moriturus sum*. Verbo respondit eventus, siquidem post tres dies mortuus est. Idem fecisse sanctos viros testantur eorum gesta; quod nimirum eo ardentius cucurrerint in stadio, quo proprius ad metam pervenerunt: quemadmodum et cursores equorum magis agitant equos, cum meta sit vicinior.

Secundo, disce negotium animæ tuæ fervide et serio agere, sicuti Christus in hoc verbo omnes intendit nervos ut voce magna clamaret, quia nimirum de re summi momenti perorabat: *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et tamen heu pro corpore, pro cibo, pro nummo curritur, sudatur, ligatur: animæ vero negotium obiter tantum peragitur, velut examen conscientiae, confessio, communio, satisfactio, et opera bona.*

Tertio, disce totam vitam et omnes actiones tuas ita instruere, ut bene et christiane moriaris, adeoque creatori tuo a quo spiritum accepisti, eundem reddas. Hic finis et hic scopus est vitæ nostræ: hoc unum nostrum esse negotium debet, quod serio agendum monet apostolus I. Thess. IV. *Rogamus vos fratres, inquit, ut vestrum negotium agatis*. Græce, *ut res proprias agatis*. Plurimi aliis serviunt et seipsos negligunt: plurimi aliena tractant, quæ ad propriam eorum salutem nihil faciunt: ad propria non attendunt, quomodo nimirum commendent animas suas fidei creatori, ut loquitur S. Petrus, I. Petr. IV.

Igitur auditores, quando nostrum aliquem exagitat spiritus malus et ad vitium aliquod horum incitat, sumat is quam primum citharam hanc in manum et occinat illi hymnum seu verbum Christi vitio illi oppositum. Fugiet enim

spiritus malus, et nos refocillabimur ac levius habebimus; quod nobis largiatur Citharædus ille, qui hodierna die in cithara crucis extensus septem illos dæmones expulit ab orbe

CONCIO VIII.

MYSTERIA PASSIONIS DOMINI SINGULATIM
EXPONUNTUR.

§ I. — EGRESSUS CHRISTI DE COENACULO
AD MONTEM OLIVETI.

I. Post cœnam hymnum dicit. — II. Egreditur de cœnaculo. — III. Assumit discipulos. — IV. Transit torrentem. — V. Venit in villam Gethsemani. — VI. Venit in montem Oliveti. — VII. Intrat in hortum.

THEMA.

Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.
Matth. XXVI.

Tametsi tota Christi vita plena est mysteriis et altissimis necnon saluberrimis doctrinis Dei gloriam amplificantibus hominique manifestantibus, multo tamen maxime ejus passio. Hic enim est ille botrus Cyprici qui in passionis torculari expressus, plurimum saporem dedit. Hoc granum sinapis, quod contritum maximam suam vim exercuit. Hic ille sponsus, cui dixit architrachelinus: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum usque adhuc*. Homines plerumque initio fervere in studiis suis solent, postea languescunt: sed non ita Christus, qui quo magis ad mortem accessit, tanto præstantiora opera edidit tantoque majora virtutum specimina et documenta nobis tradidit ac reliquit. Hoc itaque vinum nos delibare contendemus in præsentiarum.

I. Post cœnam et ante egressum hymnum dixit. Primo, ut demonstraret alacritatem suam et promptitudinem patiendi, adeoque se gaudere quod hora passionis adveniret, quam magno desiderio desiderasse se dixerat. Hæc enim hora illa erat, quam tu videret, exultavit Abraham: quam totus mundus expectabat. Sed quam nos dissimiles Christo sumus, qui ipsius causa tam ægre aliquid patimur! Ad initium quadragesimæ quando jejunandum: adveniente hebdomada sacra quando peccata expianda, multi consternantur. Quid facerent adveniente persecutore et tyranno vitam sibi erupturo?

Secundo, ut doceret homini justo potius gau-